





DIDERICI SIXII AMSTELODAMUM.

Habita Amstelodami

ORATIO,

In Auditorio Illustris Athenæi Majore, IV. *Kal. Feb.*



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM RIEUWERTS, Urbis & Athenæi Typographum, cIↃ IↃC LXXXXII.


KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Nobilissimis, Illustrissimis hujus Civitatis CONSULIBUS, AC CONSULARIBUS,

Nec non

Amplissimo Urbis

SENATUI,

Salutem ac Perpetuitatem.



Ustinet hæc qualiscunque Oratio, Nobilissimi & Amplissimi Viri, vestra sibi splendida nomina inscribere, materiæ ipsius fiducia; quibus enim potius hujus urbis dedicari laus possit, quam vobis, V. A. qui ei præestis? accedit, quod dicenti mihi Ve-

ſtro imprimis jucundiſſimo ac ſuaviſſimo conſpectu animum ad inceptum opus peragendum non mediocrem injeciſtis, & currenti quodammodo calcar, quod ajunt, addidiſtis. Quem certe honorem tam inſignem, non agnoſcere neque ſentire, inſulſum plane & ingratum videri poſſit. Accipite igitur Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri, pro humanitate veſtra, quæ inſignis ſemper erga ſtudia fuit, benevolo animo hanc meam Orationem, & æqui bonique conſulite, quod Vobis ſumma animi ſubmiſſione & obſervantia offert,

Amplitudini Veſtræ

Addictiſſimus, devotiſſimus

DIDERICUS SIX.

DI.

DIDERICI SIXII

AMSTELODAMUM.

COgitanti mihi, Auditores, ac sæpius mecum volventi, dum in studio literarum & eloquentiæ versor, & aliquod vobis, si non ingenii, at industriæ certe & diligentiæ, exhibere specimen gestio, quodnam potissimum, quod & à mea persona, & ab hoc ipso, cui insistimus, loco non alienum, & vestro omnino favore non indignum esset, eligerem argumentum, nulla mihi aut idonea magis aut illustrior visa est ad dicendum materia, quam, quæ ultro se offerebat, & in oculos incurrebat quodammodo, communis hæc Patria nostra, & hoc ipsum, quod premimus, natale solum. Etenim si illius amore ac desiderio naturali tenemur omnes: si nihil Patria dulcius, cui & ipsam immortalitatem ille Homericus, quam promittebat ei Calypso, posthabuit senex: non mirum profecto aut insolens videri cuiquam debet, si eodem, quo ille, quo omnes, affectu tangar itidem ego atque commovear. Quod si nostros parentes è quibus lucem vitatem hausimus, ut amemus ac diligamus, & ratio suadet, & naturale jus flagitat; quonam Patriam nostram, omnium nostrum parentem, cui vitam & spiritum,

cui nos ac noſtra debemus omnia, quonam illam, inquam, amore complecti viciſſim decet? Et ſi eos præcipue liberos, qui diliguntur à parentibus maxime, ſuos item parentes amare quam plurimum par eſt, quid facere illos oportet, quos, præter communem hunc ſpiritum, communis omnium parens, peculiari quadam benevolentia, & amore proſequitur ſingulari? Hæc ego mecum dum reputo, Aud. & patriæ meæ amorem, ac præclara ejuſdem merita apud animum meum recolligo ac recognoſco, ingratus certe, aut indignus his ipſis videri poſſim, ſi non agnoſcerem beneficium illud atque ſentirem. Quare, cum ex hac urbe ſim ortus, & iis ortus parentibus, quos non cives illa tantummodo, ſed & rectores eſſe civium voluit; & boni civis, & hominis non ingrati fore exiſtimavi, ſi illius ipſius urbis in laudes exſpatiarer, & eo, quo poſſum modo gratum meum erga illam animum teſtificarer. Etenim quis Amſtelodamum laudaverit juſtius, quam Amſtelodamenſis? Ubi convenientius, quam Amſtelodami? Quis jure majore, quam beneficio ſingulari obſtrictus? Quis opportuniore in loco, quam ad ſtudia Oratoria iſta deſtinato, inaugurato? Sed quid ego majus meis viribus mihi onus impono; aut ea de urbe ſuſtineo dicere, de qua, uti de Carthagine, ſilere præſtat, quam paucis abſolvere. At nec is, qui hæc dixit, de Carthagine ſiluit, nec meum hunc qualemcunque conatum, aut civitati huic noſtræ rubori,

aut

aut vobis Aud: ingratum futurum ſpero. Et voluntas laudatur interdum, & magnis ſæpe auſis excidere pulchrum eſt. Sed nec ego de urbe clariſſima, quæ dici de illa poſſent, dicturus ſum hodie omnia, & ſumma rerum faſtigia, ac quædam tantummodo capita delibabo. Quid, quod nec pro merito illa laudari à quoquam poſſit? Quid, quod ipſa pro me intercedit & quodammodo tacita loquitur, Juvenilis ætas, quæ, ſi ulla alia, venia certe veſtra Aud. & benevolentia non indigna cenſeri debet. Quod ſi Athenas aut Romam, Syracuſas aut Babylonem, aliaſque clariſſimas urbes ſuo celebraſſe præconio, viris olim clariſſimis laudi & gloriæ fuit; cur meam mihi patriam celebranti, & hoc celeberrimum orbis emporium meo, ut poſſum, præconio extollenti, aut vitio quiſquam, aut dedecori vertendum putet? Quocirca adeſte animis, qui adeſtis corporibus, & omnem mihi timorem, quem & materiæ dignitas, & audientium incuſſit aucthoritas, evellite, quæſo, & eradicate. Vos autem præcipue, ad vos enim potiſſimum mea pertinere videtur oratio, Ampliſſimi Coſſ. principes Civitatis, qui gravioribus curis ſepoſitis ad has minores deſcenditis, vos, inquam, viri Ampliſſimi, oro ego atque obſecro, uti ingenii mei mediocritati, quæ ſcio quam ſit exigua, conſueta vobis humanitate ſuccurrere, & de urbe veſtra dicturum, ac ſub gravi nimium pondere nutantem ac vacillantem veſtro favore erigere, veſtra con-

firmare præſentia ac ſublevare dignemini. Tu vero, ô florentiſſimum, Bataviæ dicam, an Europæ emporium, Ocelle urbium, Amſtelodamum, ſi nimium mihi ſumere, ſi laudes tuas clariſſimas meæ, ſi qua eſt, eloquentiæ imbecillitate deterere videor, Juvenili huic meæ audaciæ, & nimiæ forte fiduciæ ignoſce, Mater, ignoſce, & amore tui peccantem, & quaſi circa matrem ludentem, ac more infantium balbutientem, ut matrem facere par eſt, fove, ſuſtine, corrige, &, ſi amorem tuum meruero, tuo me amore complectere.

Sed quid ego primum, quid ſecundum, quid tertium in tanta materiæ copia, & rerum ampliſſimarum abundantia dicam? Rem ab origine repetam, & ut creverit, ut adoleverit civitas, & ad id ætatis, ad hoc honoris tandem ac gloriæ culmen pervenerit, ea, quâ potero, brevitate vobis, Aud: ob oculos ponam, ut ejus prima initia, amplitudinem, majeſtatem, in brevi velut tabella intueri poſſitis.

Primi urbis conditores & incolæ, uti Romæ paſtores, ſic hujus noſtræ piſcatores fuere, qui ad Damum Amſtelæ forte conſederant, & ab utriuſque nomine nomen urbis formaverant; anno poſt Chriſtum milleſimo ducenteſimo tertio. Habitabat hanc regionem, & ſuo regebat imperio, clariſſima iſto ævo ac nobiliſſima Amſteliorum familia, quorum in annalibus celebre & decantatum eſt nomen; qui cum vario, & tanquam anniverſario, implicarentur cum finitimis bello, affli-

afflictata miserandum in modum & devastata est civitas; quæ ejusdem sæculi tamen anno circiter sexagesimo brevi rursum convaluit, & quasi de novo effloruit. Anno deinde quartidecimi sæculi secundo & octogesimo, in urbis se formam erigere, & contra adjacentium incursiones muro se tueri cæpit. Immensum vero deinde incrementum sumpsit, & pomœrii sui fines, anno insequentis sæculi quinto & octogesimo, extendit & amplicavit. Longius deinde ac latius eosdem illos limites propagavit anno istius sæculi tertio & nonagesimo, & fossis atque aggeribus se ipsa munivit. Sed & isti angusti nimium termini, nec tam arcto se includere spatio ac circumscribere potuit urbis majestas, quare sua rursum pomœria dilatavit, anno currentis sæculi duodecimo. Verum ut hactenus alias ita se ipsam tandem superavit amplissima civitas, & quarta demum vice atque ultima, hujus sæculi anno octavo & quinquagesimo, in omnes ubique partes sese diffudit atque dispersit, & latissimo ac spatiosissimo ambitu circumsepsit, & firma tandem in sede ac stabili sese collocavit.

Sita est urbs nostra in ipso Amstelæ Yæque confinio, quorum ille mediam dividit, hic suis alluit fluctibus, uterque piscium genera, varia atque diversa, magna suppeditat copia; opportuno valde & commodo in omnes oras ac regiones navigantibus loco. Mirabile certe loci ingenium est, omnium non minus stupore, quam

 quam

quam quod ſuperſtructum, digniſſimi. Nam & infirmum ac limoſum eſt ſolum, quod palis demum impactis ad ſuſtinendas domos idoneum redditur, & in ipſis paludibus, & in medio veluti mari poſita ac fundata eſt civitas, ut non ſine divino miraculo, & Dei providentia ſingulari iſtic potiſſimum collocata eſſe videatur. Et ſane tantam huic loco rerum omnium copiam atque abundantiam indulſit Deus, tot opes atque divitias in urbis ſinum congeſſit, ut non niſi ejus numine ſtabilita, ejus præſidio aucta & amplificata videri poſſit, quæ exiguo temporis ſpatio in varias terrarum oras navigando, & mercaturam ubique feliciter exercendo, in tantum honoris & gloriæ, in tantum potentiæ ac majeſtatis aſcendit faſtigium, ut non finitimas tantum, ſed & celeberrimas Europæ urbes aut æquarit aut ſuperarit, & in omnem terrarum orbem, in omnes gentes ac nationes nominis ſui famam & amplitudinem diſſeminarit. Nec vero eſt dubium quin cura Dei Peculiaris hanc urbem noſtram reſpexerit, qui ex ipſis eam undis eduxit, qui ſterile & infrugiferum ſolum, frugiferum reddidit, & terræ vitium maris fœcunditate correxit; qui, cum frumentum, nec vinum, nec oleum haberemus, illud tamen ipſum aliunde reſarciit damnum ac compenſavit; ut aliæ paſſim gentes nobis veluti arent, nobis ſerant ac metant, & in noſtrum quaſi commodum germinent; nos vero, rerum omnium inopes, rerum omnium copia, & affluentia abundemus.

Quod

Quod ſi jam interiorem penitius contemplari civitatem libet, nihil niſi ſplendidum atque magnificum, nihil niſi auguſtum ac regium, & urbis majeſtate digniſſimum, nihil niſi opes atque divitias & rerum omnium ſplendorem atque abundantiam conſpiciemus. Quid de foſſis ac propugnaculis, de portis ac mœnibus, de ſpatioſis per urbem plateis, de foris & areis; quid de pulcherrimis ædificiis illis, regiis vere palatiis, quibus ipſam provocamus Italiam; quid de templis ac turribus, quibus in cœlum videmur adſcendere; quid de operibus publicis, quæ paſſim & ubique comparent, & immenſis illis molibus dicam, quibus tamquam gemmis diſtinguitur, ac præ reliquis aliis urbibus, ſuo ſane jure ac merito ſuperbit hæc civitas? quis aut eorum numerum recenſere, aut uniuſcujuſque, pro rei præſtantia, dignitatem & magnificentiam digna ſatis oratione complecti poſſit? Nulli tantum eſt flumen ingenii, nulli tam divinum & incredibile dicendi genus, qui tantum ſibi promittere audeat; nedum ut id ego tentare, aut ullo ſane modo aggredi velle ſuſtineam. Sed quamquam Apellem, aut ſi quid eo eſt excellentius, Venus iſta deſiderat, non gravabimini, opinor, tamen, ſi quædam horum attigero, & rudi veluti penicillo adumbrare ſtuduero. Quis enim te indictam prætereat, ô domus publica civitatis, quæ in celeberrima urbis parte fulgenti ac candenti marmore tuo omnium te intuentium atque admirantium oculos menteſque

tesque præstringis, ô longe dignissima hujus urbis magnitudine Curia? quis ad exteriorem illam pulchritudinem tuam ac majestatem; quis ad interiorem magnificentiam, & omnem illum ornatum & apparatum; quis ad ampla & spatiosa conclavia; quis ad immensa laquearia; quis ad signa, picturas, emblemata; quis ad pavimentum marmoreum; quis ad reconditas illas, & quas non ostendis, divitias; quis ad hæc, inquam, omnia non summa admiratione perculsus hæreat & obstupescat? Te alterum Capitolium, te octavum orbis miraculum, te principum vere confessum, te legum ac justitiæ vindicem, te perfugium omnium civium, te libertatis conservatricem, te robur ac nervum Reipublicæ jure merito dixerim. Jam vero superbam illam in vicinia porticum, & spatiosam istam mercantium aream, quo pacto aut præterire, aut ullo eam modo silentio involvere possum? Hæc est celebris illa per totum terrarum orbem Amstelodamensium destinata negotiantibus area, quam tot gentes ac nationes calcant ac terunt quotidie; ad quam tanquam ad publicum quendam & communem mercatum omnes undique populi certatim veluti confluunt, atque concurrunt. Hic emitur orbis, hic venditur. Hæc civitatem condidit, hæc eadem auxit, amplificavit, & ad istum gloriæ & dignitatis apicem extulit: hæc eandem illam conservat, & utilem suis, terribilem exteris, omnibus venerabilem reddit. Hanc ego se-

ſeminarium civitatis, ſubſidium Reipublicæ, orbis univerſi conventum, & quoddam quaſi compendium citra invidiam appellarim. Inſignem autem illam & potentem domum, quæ in ultimam Indiam uſque, & extremum Orientem Imperii ſui terminos propagavit; aut illam itidem alteram quæ in ultimum Occidentem ſuas extrudit merces, ſuas educit Colonias, quo pacto aut non prædicare, aut quibus potius verbis prædicare aggredior? quis illarum mercimonia explicet, quis opes ac divitias numeret, quis potentiam celebret? quis pro rei denique majeſtate commemoret, aut digno extollat præconio duo iſta firmiſſima Reipublicæ fulcra atque columina? Quid de ampliſſimo rei maritimæ præfectorum palatio? Quid de horum aut rerum Orientalium Curatorum ſplendidis illis ac planeRegalibus ad res navales & bellicas ædificatis horreis atque cuſtodiis? Quid de armamentario publico, omni inſtrumento bellico ornato atque inſtructo, cui ipſæ invidere poſſint Venetiæ? Quid de navium fabricatione, & de immenſis illis machinis bellicis; quid de reliquis in longum ac latum porrectis, & ante urbis ſinum prætentis, onerariis dicam? Pulcherrimum ſane ſpectaculum, & cui per univerſum terrarum orbem vix ſimile, ut putem, extet, aut ſecundum. Quid cætera porro ædificia publica, quibus abundat hæc civitas, complura itidem ac magnifica perſequar? Quid innumera illa ad Dei cultum & ad veram Religionem propagandam excitata per

urbem loca? Quid illa quæ non mercaturis & mercibus, ſed artibus ac diſciplinis, & Bonæ Mentis mercatui ſunt conſecrata? Quid illa, quæ ſenibus, ægrotis, pauperibus, & utroque parente privatis infantibus, decrepitis item mulierculis deſtinata ſunt paſſim, ædificia dicam, an palatia? Miſericors populus vocabantur olim Athenienſes. Jure longe potiore iſto nos nomine cenſendi ſumus. Illi aram Miſericordiæ erexerunt: nos ereximus templum.

Verum ut non in domibus & ædificiis, ſed in civibus & hominibus eam conſtituentibus conſiſtit potiſſimum civitas, &, ut vere olim Themiſtocles, patriam municipes eſſe, dixit, non mænia, ita non tam e muris & mænibus, & auguſtis ſuis palatiis, e lignis, inquam, & ſaxis, quam è civibus, & incolarum induſtria ac diligentia cenſeri hæc noſtra debet, qui vita ſunt civitatis, ut ita dicam; & anima. Tanta certe horum induſtria hominum & vigilantia, a primis urbis initiis ac fundamentis fuit, tanta item parcimonia atque frugalitas, & jam parta ſervandi & amplificandi cura ſemper ac cautio, ut vix ulli rei, quam iſti, ſi humano more loqui velimus, ortum & incrementum, & immenſam illam, in quam excrevit poſtea, amplitudinem ac majeſtatem, acceptam referre debere videatur hæc civitas. Nam ab ipſis ſtatim initiis, & ab eo continuo tempore, qui in urbem aſſurgere cœpit, piſcatura primum rem modicam; loci dein uſi commoditate, per mare vicinum Auſtrale,

ſtrale, & loca circumjacentia, mox item per Boreale, longius paulatim & latius, ſuis volitarunt navigiis, & ſua mercimonia exponendo, alia rurſum comparando, & invehendo, lucri non parum fecerunt, & commodi. Quod ubi non infeliciter ſuccedere ſibi viderent, eandem viam inſiſtendo, eadem maria exercendo, alia inſuper aperiendo, mercaturis & negotiationibus ſuis rem & privatam & publicam brevi temporis ſpatio auxere non mediocriter. Poſtquam vero, ſub hujus initium ſæculi, utcunque bello impliciti, duro & diuturno, ut Hannibalico bello Romani, in diverſa reſpicere auſi, longinquas etiam regiones cogitare cœperunt, neque Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam, ut olim illi, finitimas ipſis regiones & circumjacentes, ſed in ultimam Indiam, & auro illas divites inſulas, claſſem miſerunt, & nobiliſſimam illam in Oriente Coloniam erexerunt, fundarunt, & omnis generis mercimonia, & incognitas his regionibus gazas in ſinus ac portus noſtros onuſtis orientis præda navibus intulerunt, & aureo veluti imbre, vel largiſſimo flumine potius urbem ſuam irrigarunt; inſigne exinde incrementum ſumpſit, ac brevi interpoſita pace, & duodecim annorum induciis, in eam excrevit altitudinem civitas, quam habere conſpicitis hodie. Quæ poſt viginti annorum intercapedinem tamen favente ac blandiente ſucceſſu, deducta in Occidentem Colonia, & occupatis Hiſpanorum præſidiis, terrorem nominis ſui longe lateque circum-

tulit, & adductis inde divitiis ac mercimoniis pluribus, atque Argentifera hostium classe, duce Heynio, occupata, & aureo illo vellere per Jasonem nostrum reportato, suam dignitatem & gloriam, suas res & fortunas immane quantum amplificavit. Quid de navigationibus reliquis, per universum terrarum orbem; quid de Australi Incognita, & detectis per nostros homines terris; quid de Groenlandia, Nova Zembla, & ultimo Septentrione commemorem? ubi per marium ac ventorum incommoda, per nives ac grandines, per altissimos glacierum montes, ultra anni & Solis vias, & præscriptos a Natura terminos, Naturam ipsam quasi expugnarunt, & Novum terrarum Orbem, quod hactenus incredibile videbatur, sua nostri industria, & rei maritimæ experientia recluserunt, & suis exinde posteris patefecerunt. Dies me deficeret, & patientia vestra, Auditores, abuti velle viderer, si singula enumerarem. neque enim hujus horæ angustia, & unius ambitu orationis comprehendi omnino possunt terræ ac regiones, quas suis navibus obierunt, suo labore & vigilantia detexerunt, hujus incolæ civitatis; qui Tyriis & Carthaginiensibus, & quicquid in hoc genere habet, quo gloriari possit, Antiquitas, palmam sane & gloriam, sua navigandi peritia, & rerum maritimarum scientia, longe omnibus præripuerunt.

Sed ne in hisce tantummodo rebus, utcunque magnis, & ad vitæ humanæ usum summopore necessariis,

eos excelluiſſe credatis, etiam manu egregios, & bello ſtrenuos, etiam acres ingenio & in pluribus artibus ac diſciplinis, & in omni fere doctrinæ genere claros atque eximios, produxit hæc civitas viros. Quid de Nekkiis, Lonkiis, Haniis, & de fortiſſimo illo, qui reliquorum eſt omnium inſtar, Jacobo Heemskerkio dicam? Hic eſt ille Novi Orbis detector, Novæ Zemblæ repertor; hic ille, qui in Auſtrum, in Orientem complures feliciter navigationes ſuſcepit, & opima inde ſpolia reportavit; Hic ille, qui validiſſimam Hiſpanorum claſſem in ipſo Freto Herculeo, Herculea plane eſt aggreſſus audacia, & ad Gades fortiſſime dimicans victoriam ſuis reliquit; hic ille, cujus obitum defleverunt illuſtriſſima ejus ævi ingenia, & verſibus ſuis pulcherrimis honeſtarunt; hic ille, cujus marmoreo, ſatis pro iſtius temporis frugalitate conſpicuo & ſumptuoſo, ſuperbimus etiamnum ſepulchro. Quid de viris eruditione præſtantibus, & de claris porro ingeniis dicam? Nam ut Nicolaum, Henricum, Johannem, Amſtelodamenſes; ut Allardum, Sartorium, Krokium; ut Kamium, Everardum, Occonem, & utrumque Opmerium; quorum alii inſignes Theologi, alii rurſum Medici, alii Scholarum hujus urbis rectores, alii etiam Conſules extitere; ut eos omnes omittam, quis Theodorum Volkardum Kornhartium, ſubtilis ingenii virum; quis Martinum æditiuum, aut Elardum Verium fando non audivit? Quis Henricum Laurentem Spigelium, quem

Batavorum Ennium; quis Roemerum Vischerum, quem Martialem Hollandicum dixeris; Quis præclarum illud ac & ab ipsis Musis Gratiis veluti confictum, ingenium Gerbrandum Adrianum Brederodium, quem Plautum, quem Aristophanem nostrum, meritoappellaris; quis præclaros illos & illustres viros, quis, inquam, vestrum ignorat? Quid de Sebastiani Egberti, viri Consularis; quid de Petri Pauwii, Professoris Leidensis; quid de Fortunati Plempii præclaris in rem medicam ac litterariam meritis; quid de Petro Cornelio Hoofdio, Mudensi illo Satrapa, dicam? Libet hic subsistere paululum, & dotes Viri eximias, ac singulares plane virtutes, accuratiore aliquantulum oculo contemplari. Nescio sane, sitne vir iste satis unquam æstimatus, satis a quoquam intellectus. Hic enim est ille, Aud. qui scriptis & operibus suis clarissimis, præstantissimis, quam aut splendore natalium, aut nobilissimo illo, quo functus est munere, multo fuit illustrior: hic ille, cui non hæc civites tantum, & hoc illi natalitium solum, sed & omnis hæc patria nostra, & universa Batavorum Respublica, quid dico Respublica, imo & exteræ gentes ac nationes plurimum debent: hic ille, qui linquam hanc Belgicam nostram ita semper excoluit, auxit, ac perpolivit, ut illius quodammodo conditor videri possit. Testis est nobilissimum illud, & omnium admiratione dignissimum opus, quo gentis nostræ Historiam & Batavorum res gestas septem &

viginti complexus voluminibus est, stilo ita nervoso, ita terso, ac consummato, ut nesciam an apud ullas alias gentes extet quicquam præstantius. Testis est domus Medicea, cujus illustres ærumnas, splendorem & amplitudinem, eleganti Syntagmate consignavit. Testis Henricus est Magnus, Rex ille Regum clarissimus, cujus iste res gestas, quæ magnitudinem illi nominis peperere, & omnes tum belli tum pacis artes, ac Regias vere virtutes, eximio ac longe pulcherrimo comprehendit scripto, quo & singularem Regis favorem, & ordinis ab eo Equestris promeruit dignitatem. Sed nec istos intra se terminos potuit continere divinum illud ingenium, & incredibili quodam Musarum amore a prima statim adolescentia conflagravit, quo in genere scriptionis ita excelluit, ut optimos ævi sui Poëtas aut æquarit aut superarit, & Historicorum non magis princeps habeatur, quam Poëtarum. Clamant id ejus Tragædiæ, clamant ejusdem Comædiæ, clamant Amatoria carmina, complura item & diversa diversi generis alia, pulcherrima ac perfectissima, & genium sui Authoris, pondus ac majestatem, & nescio quam in dicendo peculiarem huic viro gravitatem spirantia omnia. Accedit civilis prudentia & singularis ejusdem in gubernando & administrando scientia, quam tum in universa Historia, & in iis quæ soluta oratione conscripsit ipse, tum in iis quæ convertit ex aliis, ubique summam ostendit. Quin & Cornelium

Ta-

Tacitum, graviſſimum certe ſcriptorem ac prudentiſſimum, ut ad illius ſe normam componeret, & ſuam ipſe Hiſtoriam ſcriberet, quod incredibile videri poſſit, bis & quinquagies totum perlegit: quin & ſuum in uſum tranſtulit univerſum, & continuo eum legendo, volvendo, ac convertendo ita ſibi familiarem reddidit, ita feliciter mox eundem expreſſit, ut illi ſit factus ſimillimus, & alter merito Tacitus haberi poſſit. Quapropter, uti Horna Junio, Alcmaria Nannio, Harlemum Scriverio, Nordvicum Douſis, Leyda Heynſio, Haga Secundo, Delphi Grotio, Rotterodamum Eraſmo, ita Petro Cornelio gloriatur hæc civitas Hoofdio. Verum ut hos ipſos produxit, cives ſuos & alumnos, ſic alios rurſum invitavit hæc eadem, & in ſinum ſuum pellexit omni eruditione conſpicuos & illuſtres viros; atque hoc Muſarum ſacrarium, hoc Bonæ Mentis delubrum, in civium ſuorum uſum ſimul & commodum, hujus ſæculi anno ſecundo atque tricеſimo, Senatus urbis ampliſſimus excitavit, quod Gerardus Johannes Voſſius, in omni doctrinæ genere conſummatiſſimus, Caſper item Barlæus, Philoſophus ac Poëta clariſſimus, David deinde Blondellus, Alexander Morus, doctiſſimi ac diſertiſſimi, viri nominis ſui fama celeberrimum reddiderunt. Quid de publica dicam Bibliotheca? quid de ſectionibus Anatomicis deſtinato loco? Quid de ſpatioſo illo & amæno Civitatis, Horto, omni genere plantarum, toto orbe conquiſita-

ta-

tarum, omni arborum genere ornato atque referto? Quid de Urbis Theatro, in pauperiorum ſubſidium, & ad honeſtam animi remiſſionem excitato, Muſarum illo noſtratium Athenæo? Mirari ſæpius libet Aud. quare, cum apud alias omnes Hollandiæ urbes jaceant plane ac frigeant Poëtica ſtudia, tam fæcundam hæc civitas ſemper protulerit ſegetem Poëtarum. Quid autem id aliud eſt, niſi hoc ipſum, quo ardent homines noſtri, Dramaticæ Poëſeos ſtudium, & hæc ipſa, quam frequentant, Palæſtra? Hic Poëtas audiunt, hic Poëtæ fiunt. Hinc, ut Trojano ex equo milites, multi ſemper ac præclari prodierunt vates. Huic Coſterum, Voſſium, Brantium, & complures inſuper alios; huic Principem Poëtarum, & cum Barlæo, cum Hoofdio, cum ipſis Veteribus comparandum, Juſtum debemus Vondelium, magnum ac diuturnum, non Patriæ magis ſuæ, quam hujus ipſius urbis, quam Patriæ habuit loco, decus & ornamentum.

Sed, ut in urbe cives, ſic in civibus eminent Magiſtratus, ſplendor urbis, præſidium civitatis, & publici quidam civium ſuorum Parentes; quibus, ſi ulla civitas alia, certe hæc noſtra gloriari poteſt; ejuſmodi enim nacti Magiſtratus ſumus, qui cum rei ſtudeant publicæ, & ſaluti urbis communi, concordiæ, Libertati, Religioni animum intendant omnes, alii tamen alias urbis, ut ita dicam, ac negotiorum communium partes peculiari quodam ſibi modo curandas exornandaſque ſuſci-

piunt. Hic juris excellit ſcientia, hic Medicæ rei peritia, hic arte gubernandi Reſpublicas, & civili prudentia, hic litterarum amore, hic rei Geographicæ ac maritimæ cognitione, hic Philoſophiæ ſtudio & ſcientiis Mathematicis. Huic viarum & arborum, illi exonerandarum per urbem aquarum aſſignata provincia eſt. Duo fuerunt ſemper, quæ objicerent nobis peregrini, craſſitudo aëris, & aquarum graveolentia, quæ mirum ſemper in modum fædarunt ac contaminarunt pulcherrimam civitatem. Ab altero ſereniores ut videtur ſoles, ab altero prudentiſſimi nos Conſules liberarunt. Nolo quenquam in os laudare, ſed quonam te piaculo præterire hoc loco poſſum, Huddeni ampliſſime, qui artibus tuis Mechanicis & pulcherrimis illis ad Yam operibus non ſplendorem huic Urbi dediſti & dignitatem, ſed vitam, ſed animam? Quare te non immerito, Vir Ampliſſ. amamus, colimus, & ut Civitatis hujus Archimedem ſuſpicimus, qui immiſſis ac regeſtis denuo per cataractas aquis, pro ſtagnantibus mobiles, pro turbidis liquidas, pro fætentibus, nihil odoris exhalantes effeciſti, & liberiorem nobis omnibus ſpiritum, ac ſalubriorem halitum reddidiſti. Adeo ut hac ipſa civitate noſtra tam pulchrum in modum exornata, ac ſuæ quodammodo ſanitati reddita, & his ipſis plateis ac foſſis, limpidis eas undis interſecantibus, & vernantibus illis arboribus, ad undarum marginem conſitis, ædificiorum ampliſſimorum pulchritudinem augentibus, commendantibus, nihil omni-

no

no pulchrius alibi ac ſpecioſius, nihil uſquam ornatius videri poſſit.

Cæterum cum ad laudem urbis ac commendationem nihil magis pertineat, quam quod inexpugnabilis ſit & invicta, & contra machinas hoſtium atque inſultus ſuo ſe ſitu defendat, ita hac quoque in parte ſibi ipſa conſuluit, & ſua ſe fortitudine invictam quodammodo reddidit hæc eadem noſtra. Nullis enim machinis Bellicis circumveniri, aut ullo milite neque à mari, ubi ſe ipſis undis, neque à terra, ubi ſe inundatione, & earundem aquarum eluvie, tuetur atque defendit, nulla denique opera atque induſtria aut capi à quoquam facile aut circumvallari queat. Sic ut eædem illæ, quæ ab utroque civitatem latere alluunt, quæ perfluunt eam paſſim atque diſcriminant, & variis illis diverticulis ſuis recreant atque oblectant, eandem quoque ipſam invictam hoſtibus noſtris & inexpugnabilem præſtent, hæ, inquam, ipſæ, quibus innitimur, quibus undique cingimur, ac circumfundimur, aquæ, ejuſdemque ſint urbis & pulchritudo ſimul & fortitudo.

Quod ſi principibus & illuſtribus Viris non diſplicuiſſe gratum omnino privatis atque jucundum eſt, nonne eodem illo honore urbes ac civitates jure ſane potiore gloriari poſſunt? Quo quidem nomine, ſi ulla alia, hæc certe ſe noſtra commendat: quæ variis ac diverſis immunitatibus, commodis, privilegiis, & ipſius etiam urbis Inſignibus per Albertum, Margaretam, Maxi-

milianum, & alios item Principes, ob ſingularem in eos amorem, conſtantiam, fidem, obtentis & impetratis, inter reliquas Hollandiæ civitates eminet atque excellit, & præ cæteris aliis omnibus jure quodam ſuo ſuperbit.

Quamobrem, cum non ſine miraculo poſitam, non ſine Numine auctam & amplificatam, & in ſummam altitudinem ac majeſtatem eductam, tot præclaris ædificiis & operibus exornatam, tot gnavis & induſtriis, tot fortibus, tot eruditis civibus gloriantem, tot virorum illuſtrium prudentia ac ſapientia gubernatam, adminiſtratam, ſitu ipſo munitam ac propemodum inſuperabilem, multis præterea commodis ac privilegiis ornatam à Viris Principibus & honoratam, ſortiti ſimus civitatem; nonne felices ac fortunati jure quidem noſtro & merito, cenſeri profecto debemus, qui pulcherrimam hanc urbem incolimus, qui in eâdem nati ſumus & educati, quibus ſub æquiſſimo ſapientiſſimorum virorum regimine in hac ſuaviſſima Patria noſtra dulcem omnino & tranquillam, jucundam ac fortunatam, & ab omni tumultu remotam traducere vitam licet?

Quæ cum ita ſe habeant, Auditores, quid reſtat aliud, quid, inquam, aliud reſtat, quoniam, quo adſcendat, non habet, quam ut in eodem tenore, & perpetuo illo, quem habuit hactenus, curſu felicitatis, maneat porro civitas ac perſeveret? Faxit Deus ille immor-

mortalis, hujus urbis Conditor ac Conſervator, qui ab exiguis illam initiis ad immenſam hanc magnitudinem ac dignitatem evexit, qui plurimis eam malis, & graviſſimis belli periculis eripuit, explicavit, & in hodiernum hunc diem ſalvam nobis atque incolumem præſtitit: Faxit Deus ille Optimus Maximus, ut idem hic rerum ſtatus proprius ſit illi ac diuturnus; & nullo externo hoſte, nullis dolis atque inſidiis, nullis item tumultibus appetita, ſuum illud imperium, & conſervatam hactenus Libertatem, Religionem, ſalutem, & ſartam tectam in hoc uſque temporis incolumitatem, conſervet porro ac tueatur hæc civitas: & ab hujus anni initio, in multos etiam alios, ac plura inſuper ſæcula, finiturum hoc brevi ſæculum ſubſecutura, ſpargat atque diſſeminet; & ad ſeros olim nepotes, atque ultimæ poſteritatis memoriam transferat ſempiternam.



DIDERICO SIXIO.

I.


Onſulis ô magni magna & præclara Propago,
Cui ſe noſtra negat vena puſilla parem.
Dignior, ô Juvenis, docti quem Muſa Maronis,
Quem celebret numeris Naſo Poëta ſuis.
Ardenti Patrem coluit quia pectore, toto
Æneæ canitur nomen in orbe pium.
Tu Patrem, Patrioſque ſimul quâ laude Penates,
Quâ pietate colas, vox tua teſtis adeſt:
Vox tua, quæ Batavas longe lateque per oras
Amſtelium ſpargit nomen, itemque tuum:
Vox tua, quâ, Patriæ cum divulgaret honorem,
Creditus es Pylium Tu ſimilaſſe ſenem.
Tanta tuis comitem junxit ſe gratia verbis,
Tantus & in geſtu fulſit, & ore decor.
O amor! ô cultæ ſoboles facunda Minervæ!
O amor! ô Patris gloria multa tui!
Ille ſuos quantum cives ſupereminet omnes,
Tu linguâ ſocios, ingenioque, tuos.
Plaudimus attoniti Juvenum Tibi turba virumque:
Applaudit Patrum docta corona Tibi.
Et niſi conſtrictum glacialia vincla tenerent,
Plauderet è mediis Amſtela lætus aquis.

ABRAHAMUS LAKENS.

II.

DUm gravi fundis modulamen ore,
Et quatis magni Ciceronis arma,
Stemma primorum memorans, & ortum,
Amſteliorum;

Ducimur cuncti ſequimurque, Sixi,
Verba fundentem bene culta linguam,
Qualiter clarum cithara ſecutæ
Orphea ſilvæ.

Quid prius dicas, Juvenis diſerte,
Laudibus terræ ſolitis Paternæ?
Qua nihil luſtrat melius ſereno
Phœbus ab axe?

Vidimus natam tenui ſub ortu;
Vidimus muros, generoſe Sixi,
Oppidi ductos avibus ſecundis
Terque quaterque.

Hic, velut quondam veteri ſub ævo
Atticâ ſedem poſuere terrâ,
Vidimus ſedem poſuiſſe docti
Montis alumnas.

Cujus os unquam calamusve poſſit
Patriæ laudes celebrare terræ
Rectius, quum Tu, generate docto
Conſule Sixi?

NICOLAUS VEEKENS.

III.

OMnes urit amor Patriæ. cum civibus urbem
Hinc merito laudas, Consule nate, tuam.
Ingenio tuà vox respondet; dextera voci;
O quam facundum dant tua verba sonum!
Amstela, dives opum, tellus tibi Patria, gaudet
Ornatam sese laudibus esse novis,
O, Decus Amstelidum, populi præconia grati
Extollent nomen tempus in omne tuum.

CHRISTIANUS COCQ.

IV.

FAcundus Juvenis plus quam juvenilia præstat,
Urbis dum Patriæ nomina clara refert.
Quis Patriæ melius poterit præconia terræ
Dicere, quam PATRIÆ filius iste PATRIS?
Ecce premit Patris vestigia passibus æquis
Filius, & vera est Patris imago sui.
Consule te tandem quoque gaudeat Amstela, SIXI;
Utque Parens, Patriæ sis decus ipse tuæ.

J. v. DOORESLAAR.

V.

LAudavit Patriam facundo SIXIUS *ore;*
Hoc opus, hoc unum credidit esse sibi.
Falleris at, SIXI: *tria conjunguntur in uno.*
Laudasti Patriam, Teque, Patremque simul.

MATH. van HARTOGVELT.